ANALECTA PLAVTINA
DE FIGORIS SERMONIS

# AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
# PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE XIII. MENSIS IVNII A. MDCCCCVI

HORA XII

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

---

ANALECTA PLAVTINA

DE FIGVRIS SERMONIS III

SCRIPSIT

**FRIDERICVS LEO**

---

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

Quaestionem unam alteramve huic Analectorum ordini adiuncturus talia, ut olim faciebam, nunc quoque eligam, in qualibus tria illa aut appareant aut quaeri possint aut divinari saltem: ratio sermonis latini vetusti, poetarum graecorum exemplum, rhetorum ars et doctrina. quae triplex ratio raro accidit ut dissolvi quasi et dissecari possit in partes. saepius accideret, si Plauti sermo rudis esset et artis initiis impeditus. sed cum de Plauto illo vel Macco Tito vel Tito Macco Plauto non multum sciamus, intellegimus eum studia sua eo modo tractasse et artem suam eo modo exercuisse, ut inter sermonis artifices simplex et nativi coloris, inter simplices magnus artifex esse videatur.

Per multas species diffusum est trimembre dictionis genus, quarum aliquot non multum inter se commune habent praeter numerum ternarium; eo autem ipso tam arte continetur totum genus, ut in numero aliquid esse momenti consequatur. egit de hac figura rhetorumque de ea doctrinam atque varium scriptorum usum praeclara disputatione persecutus est Nordenus (de Minucii Felicis aetate et genere dicendi p. 35—53); item de trium vocabulorum compositorum rationibus grammaticis accuratissime disputavit et exempla Plautina ac Terentiana congessit Sjögrenus (de particulis copulativis apud Plautum et Terentium p. 133—143). ille igitur quaestionem rhetoricam tractavit, scriptorum artificia ad rhetorum studia referens, vix tangens poetas, hic grammaticam, id potissimum spectans quibus modis Plautus ac Terentius terna vocabula copulaverint aut inconexa posuerint. quare non inutiliter mihi videor quaerere quid tricola quae in Plauti sermone inveniuntur ad artificiosae vel naturalis compositionis naturam cognoscendam conferant.

Scilicet omnis quaestio de figuris sermonis non ab artis tantum rhetoricae primordiis repetenda est, sed ad ipsam linguae naturam et indolem deducenda, ut si fieri potest intellegatur ex quibus radicibus figura tandem a scholasticis exculta provenerit. tali quaestioni praecipue aptus est sermo Plautinus, qui et ex ipsa

vita haustus sit nec nimium remotus ab ipsis litterarum latinarum principiis; ut artificiis, a quibus eum nequaquam alienum esse satis compertum sit, ingenitus sermonis color non videatur extinctus esse.

De tricolis agi simul cum dicolis solet; iure quidem ab eis qui de asyndetis quaerunt. asyndeton autem bimembre notum est italicis linguis familiare esse, graecae non item; unde evenit ut Cicero Caesar Sallustius et sequentes omnes culti sermonis antistites raro eo uterentur (cf. Nordenus p. 33), cum tricolon a Graecis excultum semper floreret. sed non altera figura in alterius vicem successit, quod fieri non potuit, sed bina vocabula membrave Latini quoque particulis copulativis coniuncta efferre praetulerunt, terna crebro non coniuncta posuere; ceterum diversae sunt hae compositiones non specie sed genere. bina vocabula non vulgari modo coniuncta, sed ut figuram efficiant, fere aut synonyma sunt vel affinia inter se aut contraria. atque talia ubi componuntur: *velitis iubeatis*, *volentes propitii*, *sonitu savitu*, ipsa similium coniunctione vigor additur verbo; contraria, sive inconexa sunt, velut *digna indigna*, *huc illuc*, *hostatu anhostatu*, sive copulata velut in talibus: *εἰ ἔστιν ὕψους τις ἢ βάθους τέχνη*, *hic ego dux milesque bonus*, *Romani tollent equites peditesque cachinnum*, universam rem amplectuntur ad quam pertinent; de qua figurae vi dixi Anal. II p. 36 sq. (ubi commemorare debebam Kaibelii adnotationem ad Electrae v. 303), nuper data opera egit E. Kemmer (die polare ausdrucksweise in der griech. litt. 1903). simili modo omnia, quae tria sunt, comprehendit triplex temporis notatio inde ab Hesiodeo *τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα* pervagata poetis atque scriptoribus, ut aut verbi substantivi formis concipiatur (ut Plauti Vid. 82 *neque esse credo neque fuisse neque fore*, cf. ad Pers. 777) aut verbi actionem notantis vel passionem, velut Euripides dixit Troad. 467 *πτωμάτων γὰρ ἄξια πάσχω τε καὶ πέπονθα κἄτι πείσομαι*, Menander 540, 7 K. *φθισικὸν πεπόηκε καὶ πoήσει καὶ ποεῖ*, Philemo frg. 91, 1 *οὐδὲ ἓν ποῶν οὐδ' αὖ ποήσων οὐδὲ πεποηκὼς πάλαι*, Pacuvius v. 297 *quae egi axo axim*. item corpus triplex tres spatii dimensiones comprehendens: *τὸ ἐπὶ τρία σῶμα* Aristoteles de caelo 268a 8. sic Menander tribus modis omnia in vita fieri dixit frg. 155: *τρία γάρ ἐστι, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνετ', ἢ κατὰ τοὺς νόμους ἢ ταῖς ἀνάγκαις ἢ ⟨τὸ⟩ τρίτον ἔθει τινί.* vel ut alio quolibet exemplo utar, haec tria complectitur Terentius Ad. 529: *cliens amicus hospes nemost vobis?* et Cicero ep. V 8 ext.: *amicorum hospitum clientium*, de sen. 32 *non curia vires meas desiderat, non rostra; non amici, non clientes, non hospites* (cf. Nordenus p. 47), quo ultimo loco eodem modo *curia* et *rostra* atque triplex quae sequitur complexio rem continent et absolvunt.

Haec igitur et talia ad res et materiem pertinent. in quibus quid ipse numerus valeat, Aristoteles initio operis de caelo his verbis persequitur: *μεγέθους τὸ μὲν ἐφ' ἓν γραμμή, τὸ δ' ἐπὶ δύο ἐπίπεδον, τὸ δ' ἐπὶ τρία σῶμα. καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι καὶ τὸ τρὶς πάντῃ.* item de primo medio summo: *τελευτὴ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος.* unde Philochorus, cuius verba cum nomine servavit Photius s. *τρίτος κρατήρ*, verba accuratius schol. Plat. Charm. 167a: *τέλειος ὁ τρία ἀριθμός, ἐπειδὴ καὶ ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος ἔχει, καὶ πρῶτος οὗτος τῶν ἀριθμῶν ἀρτιοπέριττος* (cf. Reitzenstein act. soc. Gott. 1906, p. 42). quo pertinet Plutarchi in vita Fabi Max. 4 ext. hymnus, ut ait, de triade.

Sic Aristoteles post Pythagoreorum studia ipsius numeri vires definiebat. atque sermonis humani usum si quis considerabit, videbit praeter rerum complexionem trimembris compositionis figuram propter numerum quaeri et numeri vi ac virtute fulciri.

Numeri ternarii vis unde venerit identidem indicavit Dielsius (cf. Archiv für Gesch. der Philos. 10 p. 232, Festschr. für Th. Gomperz p. 8 adn. 3), nobili commentatione exposuit Vsenerus (mus. Rhen. 58, 1. 161. 321, vide p. 356 sq.). est autem numerus ternarius is a quo pluralis incipit, atque pristino mentis humanae statu ipsam pluralitatem significabat; unde ea in sermone humano mansit consuetudo, ut tria multa sint. sunt etiam pauca dumtaxat, velut in talibus: *tribus verbis te volo; sat mea sat magnast si tres sint pompa libelli.* quod tria etiam omnia significant, id quidem ad rerum trinitatem iure rettulisse videtur Aristoteles loco modo indicato, quo usi sunt Dielsius (Sib. Blätter 40) et Vsenerus p. 1. quorum cum de cultu deorum inferorum alter, alter de ternis daemonum personis potissimum egerint, neuter ad linguarum usum digitum intendit, in quibus plane eodem modo quo fit in religionibus et superstitionibus terna vocabula vel cola coniungi solent ut multitudinis species extare videatur.

Hoc quoque Aristoteles animadvertit, qui rhetoricorum libri III capite 12 in scriptis improbari dicit quae in causis dicendis probentur, *τά τε ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν*, exemplis autem utitur tantum terna complexis cola (p. 1413b 23 *οὗτός ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας*) vel vocabula, atque ea quidem inconexa: *ἦλθον ἀπήντησα ἐδεόμην* et *ἦλθον διελέχθην ἱκέτευσα.* atque haec peculiare aliquid habere dicit: *ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι,* scilicet copulam unum facere ex multis, dissoluta membra multa fieri ex uno. deinde Homerum quoque multitudinis speciem

affectasse ait, cum Nirei nomen ter enuntiaret (B 671 *Νιρεὺς αὖ Σύμηθεν ἄγεν τρεῖς νῆας εἴσας, Νιρεὺς Ἀγλαΐης υἱὸς Χαρόποιο τε ἄνακτος, Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν*). omnia igitur ad ternarium refert numerum.

Atque id quidem ubique observari potest, ubi multus videri scriptor velit in re aliqua efferenda, ter repetitum nomen potissimum poni. cuius rei exempla dedi Anal. II 4 et lectorem relegavi ad Aiacem Lobeckii p. 315 (cf. Diels Parmen. p. 60). facile enim intellegitur quid intersit inter haec *καλῇ καλῶς, πάντῃ πάντως, digna dignis* et talia: *δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς, πολλὰ πολλοῖς πολλῶν ἔρωτα ἐνεργάζεται, optume optumo optumam operam das, mala malae male monstrat, ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies, multa modis communia multis multarum rerum in rebus primordia mixta.* item videlicet ut tria nomina iuxta posita, unius nominis triplex repetitio immensae multitudinis efficere notionem potest. proxime ad repetita nomina accedit similiter incipientium nominum coniunctio, cuius ex tragicorum usu exempla Kaibelius illustravit ad Electram p. 205, non distinguens ille tricola a dicolis; deinde similiter cadentia atque flexione verborum cognata vocabula; denique quae sine verborum subtiliore figuratione rerum aliquem circuitum non expleant sed ad unum eundemque pertineant. quas species omnes ante rhetorum studia in vivo sermone populorum viguisse et litterae docent, siquidem Homerus Minervae pilum dicit *βριθὺ μέγα στιβαρόν* (alia Kuehner-Gerth II 341 sq.), Aeschylo Helena est *ἑλέναυς ἕλανδρος ἑλέπτολις* vel *σέβας ἄμαχον ἀδάματον ἀπόλεμον*, Aristophani Bacchus *ἄπειρος ἀθαλάττωτος ἀσαλαμίνιος* (Ran. 204), et Romanorum potissimum verba publica, ut in templo finiendo *conregione conspicione cortumione* (Varrro l. l. VII 8), in carminibus a Macrobio traditis quibus di evocantur et urbs devovetur: *metum formidinem oblivionem, fuga formidine terrore, ut ego sciam sentiam intellegamque* (sat. III 9, 8 sq.), in precatione qua ager lustratur *fundum agrum terramque* (iterum *agrum terram fundumque, fundi terrae agrique*), *prohibessis defendas averruncesque* (Cato de agri cult. 141), et praecipue in devotionibus volgaribus, velut in Wuenschii def. tab. att. p. XXVI *quicumque conaverit dicerit fecerit* (adiecto *aut facere voluerit*), *non dormiat neque sedeat neque loquatur*, p. XXVII *ilius vita valetudin quaistum ipsuq uti tabescat* (CIL X 3824).

Comicorum latinorum aetate quomodo invaluerit rhetoricum genus inconexae vocabulorum triadis, apte illustratur Polybi exemplo scriptoris non rhetorici quidem sed a scholastica ratione minime alieni et rigida quadam atque immobili locutionum assuetudine

conspicui. luxuriatur ille in hac figura sic proferenda potissimum, ut totum aliquid significetur plenumve, plerumque quidem ut hoc ipsum enuntietur et tricolo supperaddatur. sic de motibus et affectibus quibus urbes vel exercitus impleantur: I 67, 11 *ἐξ ὧν ἦν ἀσαφείας ἀπιστίας ἀμιξίας ἅπαντα πλήρη*, V 93, 4 *διόπερ ἦν ἀμφισβητήσεως φιλοτιμίας ὀργῆς πάντα πλήρη*, XV 14, 1 *γενομένου (τοῦ τόπου) — πλήρους αἵματος φόνου νεκρῶν*, 25, 9 *ὥστε πλήρη γενέσθαι τὴν πόλιν στεναγμοῦ δακρύων οἰμωγῆς*, XXXIX 8, 8 *ἐξ ὧν συνέβαινε γίνεσθαι τὰς πόλεις πλήρεις ἀκρισίας ταραχῆς δυσθυμίας*. similiter ut omnia quae rem attingant complecti locutione videatur: III 81, 9 *πρὸς πᾶσαν ἐπιβουλὴν ἐνέδραν ἀπάτην ἕτοιμος*, VII 15, 1 *πᾶν γένος ἐνέδρας ἀντενέδρας ἐπιθέσεως ἐξευρισκόντων τῶν στρατιωτῶν*, XV 25, 23 *ἀεὶ προσεπαγομένης ὕβρεως ὑπερηφανίας ῥᾳθυμίας*. ex his locis apparet quid sibi velit scriptor ubi figura utitur non addito verbo vim eius notante: III 31, 8 *χάριν εὐεργεσίαν βοήθειαν ἡμῖν ὑπάρχουσαν*, IV 8, 3 *πράξεις ἀπάτας ἐπιβουλὰς συστήσασθαι — δυνατώτατος* (ubi vocabula dua eadem ponit quae III 81, 9, v. s.), XXI 23, 3 *προσλαβεῖν πόλεις χορηγίας ναῦς*, vel enumeratione triplici utitur: IV 38, 4, XII 15, 6, XIII 8, 2. haec sunt, nisi fallor, substantivorum ternorum ita dissolutorum exempla quae ex Polybio afferri possint; nam XIII 6, 4 *ἀνδροφόνοι καὶ παρασχίσται, λωποδύται τοιχωρύχοι* vel XII 8, 2 *δραπετῶν οἰκετῶν, μοιχῶν ἀνδραποδιστῶν* non terna coniunguntur, sed bina paria; item XVI 8, 9, qui locus accedit ad eorum quae primo attuli similitudinem, *πᾶς ὁ πόρος ἐπληρώθη νεκρῶν αἵματος, ὅπλων ναυαγίων*, cum quo conferenda binorum membrorum triplex complexio XIV 5, 12 *καθόλου δὲ πᾶς ἦν ὁ τόπος οἰμωγῆς βοῆς ἀτάκτου, φόβου ψόφου παρηλλαγμένου, σὺν δὲ τούτοις πυρὸς ἐνεργοῦ καὶ φλογὸς ὑπερβαλλούσης πλήρης*, dissolutis binis prioribus membris, coniunctis et amplificatis duobus ultimis. adiectivis rarius utitur ternis inconexis, vel rarissime, nisi in una locutione quam proprio usui excultam quater, nisi alia exempla me fugerunt, usurpat: IV 25, 7 *ἀφρουρήτους ἀφορολογήτους ἐλευθέρους*, 84, 5 *ἐλευθέρους ἀφρουρήτους ἀφορολογήτους* (item XVIII 46, 5), et ad homoeoprophoron exaequata figura XV 24, 2 *ἀφρουρήτους ἀφορολογήτους ἀνεπισταθμεύτους*. praeterea XII 8, 2 *θρασὺν εὐχερῆ προπετῆ* et adverbiis tribus coniunctis semel I 14, 3 *πάντα δοκοῦσι πεπρᾶχθαι φρονίμως καλῶς ἀνδρωδῶς*. sed verborum formis in hanc figuram redactis abstinere videtur: aliter XVI 34, 9 *καὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας ἀποσφαττόντων κατακαόντων ἀπαγχόντων, εἰς τὰ φρέατα ῥιπτούντων, κατακρημνιζόντων ἀπὸ τῶν τεγῶν*, ubi tria participia primo loco posita quasi primum sunt membrorum trium, vel XXXVIII 11, 1 *κελεύων προσελθεῖν*

*ἐγγίσαι, τολμῆσαί τινα μόνον ἅψασθαι τῆς χλαμύδος*, ubi duobus infinitivis solutis tertius additur quidem, sed ut membrum inferatur vi sua et pondere priora duo non aequans modo sed superans (cf. Acci frg. v. 304 *age age amolire amitte, cave vestem attigas*). atque hoc quidem quae attuli omnia demonstrant, Polybium hac figura uti ut affectus motusque aut describat aut moveat.

De novae comoediae poetis atticis ut quaeramus, advocandus est Demetrius de elocutione 192 sq., qui tenue genus sectari docet perspicuitatem, fugere asyndeton, quia perspicuitas sit *πρῶτα μὲν ἐν τοῖς κυρίοις, ἔπειτα ἐν τοῖς συνδεδεμένοις. τὸ δὲ ἀσύνδετον καὶ διαλελυμένον ὅλον ἀσαφὲς* [*πᾶν*]. *ἄδηλος γὰρ ἡ ἑκάστου κώλου ἀρχὴ διὰ τὴν λύσιν* (ubi *πᾶν* qua causa ascriptum sit ostendit Radermacherus p. 105 et eiecisset rectius quam *πανάδηλος* commendasset). improbat igitur in hoc genere dissoluta vocabula propter lectionis difficultatem. quod ut apertum faciat, ab instituta oratione digreditur et quasi commentator et paraphrasta repetit ea quae ab Aristotele in rhetoricorum libro III praecepta supra rettulimus: *ἐναγώνιος μὲν οὖν ἴσως μᾶλλον ἡ διαλελυμένη λέξις, ἡ δ' αὐτὴ καὶ ὑποκριτικὴ καλεῖται, κινεῖ γὰρ ὑπόκρισιν ἡ λύσις. γραφικὴ δὲ λέξις ἡ εὐανάγνωστος. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ συνηρτημένη καὶ οἷον ἠσφαλισμένη τοῖς συνδέσμοις. διὰ τοῦτο δὲ καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείστοις, Φιλήμονα δὲ ἀναγινώσκουσιν. ὅτι δὲ ὑποκριτικὸν ἡ λύσις, παράδειγμα ἐν κείσθω τόδε* (frg. 763):

*ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω, φίλε*

(ubi nequaquam recte Cobetus *φιλῶ*). *οὕτως γὰρ λελυμένον ἀναγκάσει καὶ τὸν μὴ θέλοντα ὑποκρίνεσθαι διὰ τὴν λύσιν· εἰ δὲ συνδήσας εἴποις· ἐδεξάμην καὶ ἔτικτον καὶ ἐκτρέφω, πολλὴν ἀπάθειαν τοῖς συνδέσμοις ἐμβαλεῖς.* Menandrum igitur dissoluto plerumque, Philemonem copulato sermone uti dicit audacter atque contendit, inde Menandrum actioni aptum esse, Philemonem lectioni. hic quoque quod exemplum affert unum, Menandri scilicet, trimembre est. nobis credendum esset alterum genus Philemoni, alterum Menandro fere ignotum fuisse, nisi ad supplendam rhetoris doctrinam fragmenta suppeterent. atque hoc quidem verum est, Menandri fragmenta asyndeti triplicis usum comprobare: ratio comprehensionis apparet frg. 62 *οἶσ' εἰσιὼν πανὸν λύχνον λυχνοῦχον, ὅτι πάρεστι, φῶς μόνον πολὺ ποίει*, scilicet omnia quasi quae ad rem pertinere possint enumerat; item 418 *οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων ἦν ἄρα· λύπη φόβος φροντίς, πέρας ἐστὶν οὐδὲ ἕν.* tragici sermonis parodia manifesta est frg. 548, 8 *ἀνυμέναιος ἄθλιος ἄνυμφος* (ubi *ἄνυμφος* initio versus cum pondere de quinque feminarum viro, v. infra p. 15). simile 420 *σιτόκουρον ἄθλιον ἄχρηστον* et quod simul Athenaeus affert (VI 248b) 244: ⟨*πάντ'*⟩ *ὀκνηρός,*

*πάντα μέλλων, σιτόκουρος.* parum certa verba fragmenti 615, cuius versuum prior bimembre habere videtur *ἀνόητος εὐτελής*, alter trimembre *ἄσωτος πολυτελὴς θρασὺς σφόδρα.* item incertum quod ex Heautontimorumeno Athenaeus praebet VI 231a *λουτρὸν θεραπαίνας ἀργυρώματα* (frg. 141, cf. 537, 7), incertum nimirum non asyndeton sed membrorum numerus (⟨*στρώματ'*⟩ *ἀργ.* Meinekius); quae si revera ad eam fabulae partem pertinent quam reddidit Terentius v. 121 sq., is hanc quidem figuram reddere omisit. duo fragmenta restant, quorum alterum orationem periodo trimembri artificiosius constructa clausam habet, frg. 281 de cura vel maerore:

*τρυφερῷ βίῳ σύνεστιν, ἐνδόξῳ βίῳ*
*πάρεστιν, ἀπόρῳ συγκαταγηράσκει βίῳ,*

alterum dupliciter comprobat Menandrum etiam copulata terna membra posuisse: 482, 4 *τοῦτ' ἐστὶ τὸ κυβερνῶν ἅπαντα καὶ στρέφον καὶ σῷζον* et v. 7 *πάνθ' ὅσα νοοῦμεν ἢ λέγομεν ἢ πράττομεν τύχη 'στίν.* atque Philemoni quam Demetrius solam ascribit copulatam compositionem, eam invenimus quidem in fragmentis: 213, 13

*ἀλλ' ἑταῖροι καὶ φίλοι σοι καὶ συνήθεις, νὴ Δία,*
*ἔρανον εἰσοίσουσιν,*

et eleganter constructo sermone, ut tria procedant eademque regrediantur, frg. 100: 'si quem video observantem

*τίς ἔπταρεν*
*ἢ τίς ἐλάλησεν ἢ τίς ἐστιν ὁ προιών,*

contemno hominem, nam

*αὐτῷ βαδίζει καὶ λαλεῖ καὶ πτάρνυται*
*ἕκαστος ἡμῶν, οὐχὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει.*

sed etiam enumerat, ut inc. 98, 5 *κάππαριν θυμὸν ἀσπάραγον* et 209 *μεθύει διαγραμμίζει κυβεύει* (quae nescimus quomodo continuata fuerint) et elegantius repetita triade atque ut cum propria vi numeri ternarii distinctio facilius appareat inc. 91, 5

*ἐγὼ δ', ὃ θεοῦ 'στιν ἔργον, εἰμὶ πανταχοῦ,*
*ἐνταῦθ' ἐν Ἀθήναις ἐν Πάτραις ἐν Σικελίᾳ,*
*ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν, ἐν ταῖς οἰκίαις*
*πάσαις, ἐν ὑμῖν πᾶσιν.*

in Diphili quoque paucis fragmentis, ut hoc addam, et dissolutum invenitur frg. 19, 2 *σκευάριον ἐκπωμάτιον ἀργυρίδιον* et copulatum 97 *ἢ φυγάδος ἢ πεινῶντος ἢ μαστιγίου*[1]).

---

1) Haec ad tricola tantum pertinent, quorum fines excedere nolebam. ceterum si quis Demetrii sententiam persequi quoad licet volet, etiam talia assumere

Hinc ut tandem ad Plautum transitum paremus, ista quidem Plauto quoque familiaris varietas est, ut modo componat velut *voce oculis auribus* (Rud. 224) modo *oculi atque aures atque opinio* (Mil. 589), vel *valet sentit sapit* (Bacch. 817) et *ego valeo recte et rem gero et facio lucrum* (Pers. 503); atque, ut Demetrium sequamur, Terentius habet *facete lepide laute* (Eun. 427), Plautus *lepide et facete ⟨et⟩ laute* (Mil. 1161), vel invicem Plautus *perii interii occidi* (Aul. 713) et Terentius *audio — et video et valeo* (Heaut. 244). sed haec et talia, ut dixi, diligenter congessit ac disposuit Sjögrenus. nos non tantum terna vocabula, sed omnino numeri ternarii in componendis verbis rationes spectamus.

Nusquam magis in propatulo est talis ratio quam quibus locis Plautus ipso numero enuntiato multa se vel omnia complecti significat. sic Truc. 938

Quid isti debes? Tria. Quae tria nam? Vnguenta noctem savium.

Poen. 1401

aurum argentum collum, leno, tris res nunc debes simul,

scilicet et Phronesium debere se ait omnia quae ad rem pertinere possint et miles item lenonem. non omnia sed multa significat Acanthio Merc. 118:

ita tres simitu res agendae sunt, ubi unam occeperis:
et currendum et pugnandum et autem iurigandum est in via,

fere ut tria mala dixit Menander frg. 826 *ἕν γάρ τι τούτων τῶν τριῶν ἔχει κακόν* (quae tria mala in proverbio fuisse Photius et Suidas tradunt); et item Pseudolus v. 691:

nunc ego hac epistula
tris deludam: erum et lenonem et qui hanc dedit mi epistulam,

---

debebit quale est Menandri in Colace v. 59 sq. (act. soc. Gott. 1903 p. 679):

*ὅσοι τύραννοι πώποθ', ὅστις ἡγεμὼν*
*μέγας, σατράπης, φρούραρχος, οἰκιστὴς τόπου,*
*στρατηγὸς — — τοῦτ' ἀνήρηκεν μόνον,*
*οἱ κόλακες*

et Diphili, qui aperte pendet a Menandri verbis, frg. 24 (*Γάμος*):

*ὁ γὰρ κόλαξ*
*καὶ στρατηγὸν καὶ δυνάστην καὶ φίλους καὶ τὰς πόλεις*
*ἀνατρέπει λόγῳ κακούργῳ μικρὸν ἡδύνας χρόνον.*

quae temporis ratio non contraria est eis quae nuper Wagnerus disputavit Symbolarum ad com. graec. historiam crit. p. 20. Diphilus igitur copulatum sermonem praetulit Menandreo soluto.

quibus deinde cantilenam succinit numero ternario luxuriantem v. 704:

(te) quaero, quoi ter trina triplicia, tribus modis tria gaudia,
artibus tribus tris demeritas dem laetitias, de tribus
fraude partas per malitiam et per dolum et fallaciam,

quae descripsi ut videres quam artificiose numero octies repetito superaddat unius notionis triplicem notationem *malitiam dolum fallaciam.* unde quid alias sibi velit compositio triplex optime perspicitur. tripertitam actionem comminatur amator Cist. 522 sq. (quem locum ascribo ut legi possit):

di me omnes, magni minuti et etiam patellarii,
faxint ne ego ⟨dem vivae⟩ vivos savium Selenio,
nisi ego ⟨uno ictu⟩ teque tuamque meque hodie obtruncavero,
poste autem cum primo luci cras nisi ambo occidero,
et equidem hercle omnis pedatu tertio nisi efflixero,
nisi tu illam remittis ad me. dixi quae volui. vale.

in quibus non sententiae tantum constructio triplex est, sed etiam deorum (v. 522) atque hominum (v. 524) comprehensio.

Ex talibus locis, ut dixi, apparet quo consilio terna vocabula nomine numerali non addito componantur. cuius generis multae species afferri possunt. publica verba vel quae precibus apta sunt supra attigi; eo pertinent Plautina Amph. 196 *ductu imperio auspicio suo* (ut in Mummi titulo *ductu auspicio imperioque*) et de agri et argumenti mensura Poen. 48 *eius nunc regiones limites confinia determinabo*, in precibus Pers. 331 *ut mihi supersit suppetat superstitet*, Merc. 678 *ut des pacem propitius*, *salutem et sanitatem* vel in formula ad tres personas pertinente Aul. 218 *quae res recte vortat mihique tibique tuaeque filiae* (Capt. 361). talia vitae usus subministrabat aut ut facile in carmen redigerentur praestabat. similiter comparata esse suspicamur quae iterata legimus: *dice monstra praecipe* Capt. 359 et Mil. 256, *di me adiuvant augent amant* Epid. 192 et Men. 551. item quod legitur Pers. 333 in oratione per comicam gravitatem elata (v. s. 331) *scis tenes intellegis* redit fere in urbis devotione apud Macrobium III 9, 11 *si haec ita faxitis ut ego sciam sentiam intellegamque.* quo ista cumulabantur eodem modo figuram multitudinis struebat sermo synonymis coniunctis velut *gloriam laudem decus* (Stich. 281), *miseras inopes aerumnosas* (Rud. 258), *blanditiis muneribus donis* (Cist. 93), *membra atque ossa atque artua* (Men. 855), *inluviem sordes inopiam* (Ter. Eun. 937), *excordem caecum incogitabilem* (Mil. 544), *neque illa ulli homini nutet nictet annuat* (Asin. 784), *quaeritet desideret expectet* (Mil. 1244),

*assequitur subest subsequitur* (Trin. 1118), *video subolet sentio* (Trin. 698), *perii interii occidi* (Aul. 713), *servas castigas mones* (Heaut. 592), *spolias mutiles laceres* (Hec. 65), nam Terentium in hac causa cum Plauto coniungere licet non minus quam Naevium, qui convicia tria coniungit com. 118 *ganeo lustro aleo*, ut Catullus 29, 10 *es impudicus et vorax et aleo.* quaedam ita composita sunt ut praemittatur generale nomen, excipiant specialia duo, velut Poen. 130 (*res*) *dubias, egenas inopiosas consili*, Amph. 268 *malum — callidum astutum*, Pseud. 724 *malum* | *callidum doctum* (cf. Poen. 234 *quae tam callida et docta sis et faceta*, Rud. 1240 *consulte docte atque astute*). allitteratio vetustae consuetudinis est, ut in illis *supersit suppetat superstitet*, *adiuvant augent amant*, sic Merc. 674 *servitus sudor sitis*, Curc. 117 *screanti siccae semisomnae*, Men. 114 *me retines revocas rogitas*, Ter. Eun. 688 *vietus vetus veternosus senex*, Ad. 134 *profundat perdat pereat.* proximum est homoeoprophoron quale inde ab Aeschylo tragoediae familiare esse vidimus: *indecore inique immodeste* (Rud. 193), *indoctae immemori insipienti* (Pers. 168), *exitium excidium exlecebra* (Bacch. 944), *compellare et complecti et contrectare* (Mil. 1052), *abdidi abscondidi abstrusam habebam* (Merc. 360). secuntur similiter cadentia, tragicae dictioni familiaria (cf. Pacuv. 275 *maerore errore macore senet*, 329 *lacerasti orbasti extinxti*), Plauto minime ignota, vide Pseud. 1271 *accubantis potantis amantis*, Cas. 623 *auxili praesidi perfugi*, Capt. 133 ubi praemissum *maerore maceror* triplici serie inlustrat: *macesco consenesco et tabesco miser*, Capt. 87 ubi quam lepide ludat verbis *molossici* | *odiosicique et multum incommodestici* exposui Anal. II 30, scilicet ut triadem vocabulorum expleret. Mil. 1100 *sumat habeat auferat* apparet quam otiose, ad sensum quidem, *habeat* repetierit et *sumat* praemiserit, si quis legat quae antecedunt: *aurum atque vestem muliebrem omnem habeat sibi quae illi instruxisti;* sed non otiose ad vim sonitumque sermonis. unius eiusdemque verbi composita conserit Amph. 984 *concedite atque abscedite omnes, de via decedite*, nominis formationem ter repetit Terentius Eun. 1034 *o mearum voluptatum omnium* | *inventor inceptor perfector.*

Haec partim ita comparata sunt, ut de figura quam poeta efficere voluerit constare videatur. sed alia multa sunt quae si consideres poetam multo magis numero quam figurae studuisse intellegas, talia scilicet quae duobus vocabulis notionis affinitate vel figurae sonitu coniunctis additum ostendant tertium numeri causa ascitum. nobile exemplum praebent Pseudoli versus 64 sq., interpolationibus quidem deformati sed ut pristina compositio eluceat:

nunc nostri amores mores consuetudines,
compressiones artae amantum corporum,
teneris labellis molles morsiunculae,
papillarum horridularum oppressiunculae:
harunc voluptatum mi omnium atque itidem tibi
distractio discidium vastities venit,

ubi voluptatum trias *compressiones — morsiunculae — oppressiunculae* tribus versibus concepta et trifariam distincta praeparatur triade *amores mores consuetudines*, excipitur altera *distractio discidium vastities*, quarum utraque, ut numerus impleatur, figuratam duorum nominum compositionem tertio supplet. aliud hoc est, Merc. 832:

usus fructus, victus cultus iam mihi harunc aedium
interemptust interfectust alienatust: occidi.

dyadum pari adiungitur trias, ut res transigatur et finis fiat. atque *interemptust interfectust* unde venerit docet devotio Arretina (CIL. XI 1823b 9, Wuensch def. tab. p. XXVII): *ut vos eum interemates interficiates.* superaddidit tertium, ut vidit Buechelerus mus. Rhen. XXXIII p. 5, cf. Nordenus l. s. 32. sic ad Capt. 911 *clades calamitasque intemperies* Sjögrenus p. 138 attulit Sallusti Catil. 39, 4 *clades atque calamitas.* supra vidimus quam lepide coniungantur Cist. 522 *di omnes, magni minuti et etiam patellarii,* plane ut Cicero in eadem qua supra (p. 4) usus sum epistula V 8 graviter et cum affectu quasi perorans Crassum iubet scribere *de omnibus, minimis maximis mediocribus rebus;* atque Plautus eiusdem fabulae versu 512: *at ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi*, propter numerum additis qui nusquam sunt. alio modo iocatur Pers. 410 *procax rapax trahax*, ubi priora duo epitheta traxerunt tertium (cf. Anal. II 30), et item Pers. 783 *qui illum Persam atque omnis Persas atque etiam omnis personas | male di omnes perdant;* quibus locis numeri supplementum quaerens ad inveniendum incitatus est.

Fecit igitur Plautus quod in scholasticis sui temporis castigat Seneca controv. IX 2, 27[1]) (cf. Nordenus l. s. 42) Murredi tetra-

1) Item contr. II 4, 12 Seneca Maximi affert *tricolum tale qualia sunt quae basilicam infectant.* eum dicit Fabium Maximum, nobilissimum virum, *qui primus foro Romano hunc novicium morbum quo nunc laborat intulit.* de quo Cassi Severi dictum affert et ipsum tricolo ornatum: *quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es; unum tantum es non quasi, alapa.* traditum est *alapam,* edunt ex Gronovii coniectura editores *vappa.* non opus videtur corrigi *alapanta* (cf. ad Curc. 463) postquam inventum est Petroni (c. 38) *subalapa.* cf. Vollmerus Thes. l. l. I 1480, 18, W. Heraeus die Sprache Petrons und die Glossen p. 31 adn. 5; qui quod *subalapo* vel *subalapator* scribendum esse opinatur, *alapa subalapa* formatum videtur ad analogiam compositorum multorum veluti *transfuga, feniseca.*

colon adferens cuius *novissima pars* ut ait *sine sensu dicta est ut impleretur ⟨numerus⟩*. quam se ideo sententiam rettulisse dicit *quia et in tricolis et in omnibus huius generis sententiis curamus ut numerus constet, non curamus an sensus.* scilicet quod in figura rhetorica iure vituperatur, apte ac lepide fieri potest in sermone comico; neque quisquam Plautum dicet nimio rhetoricae venustatis studio duci, sed oblectari propria quadam et innata numeri ternarii suavitate. atque hoc quidem multis aliis locis observari potest, quomodo ex duobus tres fecerit ut non figura sed numerus suppleretur; praecipue sic ut nominibus synonymis duobus per allitterationem vel homoeoprophoron coniunctis tertium aut postponeret, ut Asin. 133 *perlecebrae permities adulescentum exitium* (cf. Anal. I 12), Pseud. 173 *in munditiis mollitiis deliciisque* aut, quod multo saepius fit, praemitteret, velut Merc. 115 *aspellito, | detrude deturba in viam*, Trin. 142 *taciturnitati — fide et fiduciae*, Capt. 873 *vivom salvom et sospitem* (ubi coniunctum est medium terminatione cum primo, allitteratione cum tertio), Poen. 1221 *pudice — cogitate et commode*, Mil. 656 *venerem amorem amoenitatemque*, Stich. 736 *mea suavis amabilis amoena*, 1042 *virtute et forma et factis*, Bacch. 376 *tua flagitia aut damna aut desidiabula*, Curc. 501 *odio et malo et molestiae*, Pseud. 659 *anum illam doliarem claudam crassam* (ubi *doliarem* et *crassam* significatu continentur vel ut rectius dicam *crassam* propter figuram superadditum est), Cist. 280 *stulte atque immodeste atque improbe*, Aul. 642 *laruae — atque intemperiae insaniaeque*, Truc. 610 *holerum atque escarum et poscarum;* sic Terentius Ad. 927 *colere adiuvare adiungere*, qui etiam tertio paronomasian interrumpit Heaut. 526 *avidum miserum atque avidum* (cf. Sjögrenus p. 137); Ennius trag. 297 R. (340 V.) *secum cogitat parat putat*, ubi quod tradit Nonius *parat* Vahlenus tutatus est Ciceronis verbis ep. II 5, 2 *ea para meditare cogita.* aliud genus eiusdem compositionis est, ut dixi, quo duo nomina non sono sed re coniuncta tertio supplentur. quotiens *vi pugnando* legatur notum est: *vi pugnando periuriis* Asin. 555; legitur Pseud. 44 *animo corde et pectore* et Rud. 224 *voce oculis auribus*, sed Capt. 387 *corde et animo atque auribus* (namque haec non recte inmutari videntur, quoniam Philocrates mandatum auribus recepturus est) et Mil. 589 *illius oculi atque aures atque opinio*, 564 *oculos et manus orationemque;* legitur Most. 193 *siti fameque atque algu*, sed Rud. 312 *fame sitique speque falsa*, quod ex fragmento Senonensi recuperavit Lindsay. vinum et amor, durus uterque deus, simul ire consueverunt; tria fiunt Most. 36 *lubet potare amare scorta ducere*, Poen. 603 *ubi ames potes pergraecere*, Merc. 548 *voluptate vino et amore*, Stich. 447 *potare amare atque ad cenam condicere*, Pseud. 1271 *accubantis po-*

*tantis amantis*, quorum exemplorum vix unum alterumve rei aliquid addit vocabulo addito tertio.

Sed aliis locis tertium quod additur vim sermoni non per numerum tantum addit, eo quod rem complectitur vel priora duo confirmat vel in gradum altiorem educit. sic Bacch. 1043 *ego neque te iubeo neque veto neque suadeo* tertium hoc significat: 'neque omnino quicquam tibi suadeo'; simplicius Trin. 696 *neque volo neque postulo neque censeo*, Ter. Phorm. 1044 *neque ego ignosco neque promitto quicquam neque respondeo.* vel Cist. 60 *doleo ab animo*, *doleo ab oculis*, *doleo ab aegritudine* animus et oculi causam flendi fletumque significant, aegritudo totum mentis statum; Mil. 218 *vigila inquam*, *expergiscere inquam*, *lucet hoc inquam* tertium enuntiat cur expergiscendum vel vigilandum sit; Capt. 661 *sator sartorque scelerum et messor maxume* vel Cas. 248 *bibe es disperde rem* tertium fortiter priora duo extollit, in re simili Trin. 406 *comessum expotum* tertio excipitur *exussum*, quod deinde per species suas ducitur, sed tria simul eunt Truc. 312 *ea vos estis exunguimini ebibitis.* ut illic *disperde rem*, Terentius Heaut. 465 *sumat consumat perdat* et fortius Ad. 134 *profundat perdat pereat;* neque aliter Plautus Trin. 598 *ibit istac*, *aliquo*, *in maxumam malam crucem.* in initio versus posuit Terentius in narratione concisa tertium verbum duobus praeeuntibus gravius Phorm. 103 *imus venimus* | *videmus*, 135 *ventumst vincimur* | *duxit* (ubi quod praecedit *persuasit homini*, *factumst* distinctione separandum), v. supra p. 8 de Menandri frg. 548, 8. vel per tres gradus figura deducitur: *orant ambiunt exobsecrant* Mil. 69, *abdidi abscondidi abstrusam habebam* Merc. 360, *amicum amatorem virum* Ter. Andr. 718. quae etiam per verborum figuram gradatio fieri potest, ut Pers. 760 *unde ego omnis hilaros ludentis laetificantis faciam ut fiant.* inversa gradatio est Pers. 257 *quod ego non magis somniabam neque opinabar neque censebam.* haec omnis triplex est gradatio non aliter quam in comparatione (cf. Capt. 461 sq.) vel in exemplis eligendis velut illa trias Simonidea valetudo forma divitiae, quali triadi quartum addit cum ioco Philemo frg. 163 *αἰτῶ δ' ὑγίειαν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν, τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί.* tribus se cohibet Menander 223, 16 *πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.* frequentatum hoc Lucretio est, ut tria exempla coniungat, velut I 454 *pondus uti saxis*, *calor ignibus*, *liquor aquis est* (Anal. II 35), IV 219 (VI 925) *frigus ut a fluviis*, *calor ab sole*, *aestus ab undis* (fluit), vel ut tribus rebus descriptio contineatur: VI 1150 (lingua) *debilitata malis*, *motu gravis*, *aspera tactu*, III 156 *caligare oculos*, *sonere auris*, *succidere artus*, 453 *claudicat ingenium*, *delirat lingua*, *labat mens*,

vel in narratione V 816 *terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile praebebat.* quibus proxima sunt quae in tragica dictione inveniuntur Pacuvi: v. 77 *flucti flacciscunt, silescunt venti, mollitur mare,* 55 *mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant,* 382 *voce suppressa, striato fronte, voltu turgido*; cf. Acci v. 15 *iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam* vel Furi Bibaculi frg. 11 *pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.*

Saepissime trium membrorum solutam compositionem anaphora astringit, ut in exemplo Aristoteleo supra adlato (p. 5). sic Plautus (v. s. Cist. 60 Mil. 218):

Trin. 386 tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas.
Mil. 331 mihi ego video, mihi ego sapio, ⟨mihi⟩ ego credo plurumum.
Curc. 369 tu tabellas consignato, hic ministrabit, ego edam.
Vid. 49 multum laboret, paulum mereat, paulum edit.
Poen. 375 sine te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem savium.
Men. 403 saepe *tritam,* saepe *fixam,* saepe *excussam malleo.*

sic Terentius:

Phorm. 188 eius me miseret, ei nunc timeo, is nunc me retinet.
Ad. 758 hancine vitam, hoscin mores, hanc dementiam.
Heaut. 322 vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici.

quibus addi possunt Caecili Acci Lucili versus;

Caec. 91 quod prolubium, quae voluptas, quae te lactat largitas?
Acc. 232 quoi me ostendam? quod templum adeam? quem ore funesto adloquac?
Lucil. 1336 hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum,

et Enni ann. 276 *Marsa manus, Paeligna cohors, Vestina virum vis,* item comici quem Keilius agnovit versus apud Charisium p. 286 (pall. inc. 60 R.), quos sic scribendos esse censeo:

egone illam? pudor est eloqui — quam comperi — reliqui?
non potui, non perpetiar, non e⟨go⟩ perferam [1]).

---

1) Exemplum apoclisis figurae; addit Charisius: *consulto verbum vel verba praetermittit et quiddam suspicionis silentio colligit.* traditum est *relinqui non potuit.* 'egone illam' ait amator 'quam ex me gravidam esse comperi, reliqui?' quod ipsa interrogatione concedere videtur, non enim dicit *reliquerim.* sed statim acriter negat id se fecisse nec se cogentibus ut faciat concessurum pronuntiat.

Multae iam earum quas attuli triadum non tam multitudinem complectebantur quam universam rem per tres partes notatam, aut ut re vera totum istae partes reddant, velut *mare terra caelum* (Trin. 1070 in exclamatione, Amph. 1055 *omnia, mare terra caelum*) et quae supra attuli p. 4, aut ut tria quae electa sint totum rei circuitum implere videantur, velut Rud. 224 *voce oculis auribus ut pervestigarem* omnes quaerendi vias et rationes, licet aliae quoque cogitari possint. sic aliquot locos congessi p. 14, quibus amori et vino tertium additur quod utrumvis eorum exaugeat magis quam novum addat; aliter Bacch. 87 *quia istoc inlecebrosius fieri nil potest: nox mulier vinum homini adulescentulo,* plane ut Ovidius am. I 6,59 *nox et amor vinumque nihil moderabile suadent: illa pudore vacat, Liber Amorque metu* et assumpta in nominum, ut quattuor fiant, consortium adulescentia Terentius Ad. 470 *persuasit nox amor vinum adulescentia.* Men. 170 parasitus quaerenti Menaechmo quid oleat pallium respondet *furtum scortum prandium,* insequitur ille *elocutu's.* vestimenta comprehendit Epid. 725 dicens *soccos tunicam pallium,* arma bellica Trin. 596 *clupeus galea sarcina,* vitam domesticam Terentius Andr. 891 sic: *domus uxor liberi inventi invito patre,* similiter convivium famelicum, ut ait Apuleius, describit Philemo frg. 85 εἷς ἄρτος, ὄψον ἰσχάς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ. omnia deserunt quem *spes opes auxiliaque* deserunt (Capt. 517), omnes dei propitii sunt cui *Spes Salus Victoria* (Merc. 867). iuvenalem valetudinem totam complectitur Bacch. 817 *dum valet sentit sapit,* mercaturam recte administrantis statum Pers. 503 *ego valeo recte et rem gero et facio lucrum,* boni filii familias officia Bacch. 458 *in mare it, rem familiarem curat, custodit domum,* mali servi Ad. 964 *obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die convivium* (opposita scilicet tribus illis *docui monui bene praecepi* v. 963), totam Atticae originis et disciplinae fiduciam Rud. 741 *Athenis natus altusque educatusque Atticis.* totum perire amatorem sic bis significatur Truc. 45 *et ipsus periit et res et fides,* 58 *quom rem fidemque nosque nosmet perdimus,* omnibus vitae commodis se excidisse conqueritur Euclio Aul. 724 *me defraudari animumque meum geniumque meum.* sic omnia quae facta sint tribus verbis narrari facit Terentius Phorm. 103 *imus venimus videmus,* 135 *ventumst vincimur duxit* (v. s.), Eun. 593 *iit lavit rediit,* omnia quae fecerit narrat Menaechmus v. 401 *prandi in navi, inde huc sum egressus, te conveni* (ubi *eccere* regerit Erotium non aliter quam flagitanti tripliciter filio pater Trin. 386, v. s.), omnia quae facturus sit senex pronuntiat Pseud. 1245 *nunc ibo intro, argentum promam, Pseudolo insidias dabo,* quae facienda sint servus Terenti

Hec. 291 *rem cognosces, iram expedies, rursum in gratiam restitues*, suspicionis causas enumerat Davus Andr. 360 *paululum opsoni, ipsus tristis, de improviso nuptiae*, donandi causas Demea Ad. 951 *pro patre huic est, bonus est, noster est: recte datur* (nam segregandum est *recte datur*), omnia quae in rem agendam cadunt ut fiant imperatur Aul. 453 *coquite facite festinate*, Capt. 895 *sume posce prome quidvis*, Poen. 146 *suspende vinci verbera*, Ter. Ad. 991 *effundite emite, facite quod vobis lubet*; atque hic quidem tertium generale est, ut Merc. 491 *invenietur, exquiretur, aliquid fiet*, Mil. 252 *occupatast, operae non est, non potest*; in simili dictione Terentiana tria quartum excipit similiter Andr. 334 *facite fingite invenite: efficite qui detur tibi.*

Huius loci Terentiani figura contraria est ei qua toti tria apponuntur (*omnia, mare terra caelum*); scilicet triadi adiungitur totius significatio quasi signum ductae per pleraque enumerationis aut nomine verbove comprehensivo enuntiata aut ipso quod est *omnia, cuncta*, non *cetera* (nam hoc aliud est: Cic. pro Mur. 15 *summam video esse in te dignitatem generis integritatis industriae ceterorumque ornamentorum omnium* vel Truc. 318 *blandimentis oramentis ceteris meretriciis*). sic in devotione Macr. III 9,7 *loca templa sacra urbemque eorum*; sic Plautus Cas. 642 *pectus auris caput teque di perduint*, quod quomodo intellectum velit senex ancillam devovens, defixiones docent quae non desinunt antequam membratim omnia denumeraverint: *dii iferi vobis comedo ilius memra colore figura caput capilla umbra cerebru frute supercilia os nasu* et longo ordine quae secuntur (CIL X 8249, Wuensch p. XXVII). aliquotiens duo praemittuntur, velut Rud. 1178 *tus murrinus omnis odor*; sic Tacitus, quo auctore utor quoniam hanc figuram frequenter usurpat, ann. XIII 42 *crimen periculum omnia potius toleraturum*, 57 *equi viri cuncta viva occidioni dantur*, XV 19 *gratiam honores cuncta prompta et obvia haberent;* vel praemittuntur quattuor, velut binis coniunctis Men. 1158 *venibunt servi supellex, fundi aedes, omnia.* sed tria potissimum, ad Platonis exemplum: τὸ δὲ ϑεῖον καλὸν σοφὸν ἀγαϑὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον (Phaedr. 246 d). sic Philemo frg. 91 ἐν Ἀϑήναις ἐν Πάτραις ἐν Σικελίᾳ, ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν (quod quomodo duplicanda deinde triade amplificet supra p. 9 vidimus), Lucianus dial. meretr. 14,1 ἐρώμενος ἀνὴρ δεσπότης, πάντ' ἦν ἐγώ, Lucilius 1113 *armamenta tamen, malum, vela, omnia servo* [1]),

1) Lucili tricolon est trium verborum similiter cadentium sine copula v. 1092 *surgamus eamus agamus*; v. 990 *sic laqueis, manicis pedicis, mens inretita est* Marxius distinxit appositionem bimembrem. aptum exemplum figurae, cuius vis ipsis verbis declaratur, v. 245, praemisso v. 243 tricolo:

Catullus 14,18 *Caesios Aquinos Suffenum, omnia colligam venena* (nam sic verba sunt distinenda), Iuvenalis 10,78 *qui dabat olim imperium fasces legiones, omnia*, Tacitus ann. I 9 *legiones provincias classes, cuncta inter se conexa*, 68 *vim sanitatem copias, cuncta in victoria habuere,* XII 65 *decus pudorem corpus, cuncta regno viliora habere,* XV 11 *virtutem regis, saevitiam et copiam gentis, cuncta metu extollentes* atque Plautus Rud. 215 *algor error pavor, me omnia tenent,* quorum verborum hyberbaton nec rarum est nec volgare. dissentit Marxius, qui ad Lucili sui versum 1113 eo testimonio non utitur, sed ad v. 1306 adnotat (II p. 415) *omnia* in illo Rudentis versu 'accusativum esse potius quam nominativum'. sed algor quidem Varroni ac Lucretio id est quod gelu, error pavorve vix videtur regioni locisque attribui posse.

Illa figurae species, qua ad implendum quasi rei circuitum tria eliguntur, non aptius illustrari potest quam duobus Plauti locis, Men. 249 et Truc. 862. quorum alter quomodo intellegendus sit olim docui, Hermae vol. XVIII p. 576, nec habeo quod addam; nunc etiam Lindsay verba tradita edidit recte distincta. ibi igitur Menaechmus servo obloquenti triplex praeceptum ingerit, quo normam vitae servilis quasi universam et omnia quae servulo ad recte vivendum scire et facere opus sit uno carmine comprehendit (v. 249):

dictum facessas, datum edis, caveas malo.

unde quod sequitur addit:

molestus ne sis, non tuo hoc fiet modo.

Messenio autem, ut intellexisse eum sciamus quid erus voluerit, insequitur:

em illoc enim verbo esse me servom scio.
non potuit paucis plura plane proloqui.

scilicet paucis verbis triplici sermone conceptis omnia ad rem pertinentia prolocutus est erus. in quo versu quod *fac cessas* scripsit *B* priore manu et *C*, volgare vitium est, hiatus inter *datum* et *edis* quare et quomodo nullus sit si non constat quaerendum. Truculenti loco quem indicavi Phronesium bis terna verba ponit (862 sq.):

scio mecastor quid velis et quid postules et quid petas:
me videre vis, te a me ire postulas, puerum petis.

respondet Diniarchus, consimiliter Messenioni:

di immortales, ut planiloquast, paucis ut rem ipsam attigit.

---

cui neque iumentum est nec servus nec comes ullus:
bulgam et quidquid habet nummorum, secum habet ipse,
cum bulga cenat dormit lavit: omnia in una
sunt homini bulga.

versum 863 emendavi in editione (*me videre vis et me te amare postulas* codd.), et necessario quidem. *et me* corrupto verbo astructum esse videtur, *et* propter copulas in versu antecedente, cum a poeta haec inconexa posita esse exempla similium locutionum supra adlata facile monstrare possint.

Duo Truculenti versus, ut vidimus, bis terna membra coniungunt. idem artificiosius factum, immo ter terna composita deprehendimus Pseud. 64 sq. (supra p. 12 sq.). talia omnium maxime vim numeri ostendunt, quem secutus poeta sermoni vim addere voluerit. Epid 222

sed vestita aurata ornata ut lepide, ut concinne, ut nove

dissoluta membra tria tribus per anaphoram conexis excepit; contraria ratione Pseud. 179

ubi isti sunt quibus vos oculi estis,
quibus vitae, quibus deliciae estis, quibus savia mammia mellillae?

ubi ter positum *quibus* sequitur quartum tria membra ducens; Stich. 657 praemittitur *quot ego voluptates fero*, generali scilicet notione, sequitur:

quot risiones, quot iocos, quot savia,
saltationes blanditias prothymias.

item tria tribus respondent Asin. 554:

eae nunc legiones copiae exercitusque eorum
vi pugnando periuriis nostris fugae potiti.

lepida compositione ter terna coniunxit Pers. 838 sq.:

sed ita pars libertinorum est: nisi patrono qui adversatust,
nec satis liber sibi videtur nec satis frugi nec sat honestus,
ni id effecit, ni ei male dixit, ni grato ingratus repertust.

larga manu triadas cumulavit Mil. 188 sq.:

siquidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat:
os habet linguam, perfidiam malitiam atque audaciam,
confidentiam confirmitatem fraudulentiam.
qui arguat se, eum contra vincat iureiurando suo:
domi habet animum falsilocum falsificum falsiiurium,
domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.

ter terni versus sunt, prioris triadis primus versus (188) negantem mulierem, alterius (191) periurantem proponit. v. 189 *os linguam* duo nomina inconexa significatu cohaerent, deinde manifesto inter se separatae duae triades *perfidiam malitiam atque audaciam* et *confidentiam confirmitatem fraudulentiam* (cf. Anal. II 30); v. 192 sq. item duas triades habent, alteram epithetorum formatione sua astrictorum inter se, alteram nominum per anaphoram colliga-

torum. *domi habet* praemissum priori triadi duas coniungit ut Pseud. 180 *quibus* secundae praemissum.

Terenti duos locos afferam, alterum variatione prioris anaphorae insignem (fere ut Curc. 369 Vid. 49, v. p. 16) et secundae triadis copulis instructae, Ad. 992 sq.:

quae vos propter adulescentiam
minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
haec reprehendere et corrigere me et secundare in loco,

alterum numeris variatum, Ad. 470 sq.:

persuasit nox, amor vinum, adulescentia:
humanumst. ubi scit factum, ad matrem virginis
venit ipsus ultro lacrimans orans obsecrans,
fidem dans iurans se illam ducturum domum.
ignotumst tacitumst creditumst.

ubi v. 470, ut dictum p. 17, ex tribus quattuor facta sunt (nisi quod hic quidem *amor vinum* quasi una pars rerum cohaerent), tria *lacrimans orans obsecrans* a duobus *fidem dans iurans* et notione (ut illa Mil. 189) et versu manifesto separantur. denique hic quoque sermonis tragici exempla praesto sunt, Acci v. 444 cum asyndeto duplici

gaudent currunt celebrant, herbam conferunt donant tenent

et 364 sq. versus in artificiosam trium membrorum implicationem exeuntes:

o ingratifici Argivi, immoenes Grai, immemores benefici,
exulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.

Haec sunt illa, quae scriptorum vetustorum et sequiorum exemplis Nordenus p. 37 sq. illustravit quaeque subtili sensu scriptor de sublimitate describit c. 20: *ἄκρως δὲ καὶ ἡ ἐπὶ ταὐτὸ σύνοδος τῶν σχημάτων εἴωθε κινεῖν, ὅταν δύο ἢ τρία οἷον κατὰ συμμορίαν ἀνακιρνάμενα ἀλλήλοις ἐρανίζῃ τὴν ἰσχὺν τὴν πειθὼ τὸ κάλλος, ὁποῖα καὶ τὰ εἰς τὸν Μειδίαν, ταῖς ἀναφοραῖς ὁμοῦ καὶ τῇ διατυπώσει συναναπεπλεγμένα τὰ ἀσύνδετα· ʽπολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὧν ὁ παθὼν ἔνια οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιτο ἑτέρῳ, τῷ σχήματι τῷ βλέμματι τῇ φωνῇ'. εἶθ' ἵνα μὴ ἐπὶ τῶν αὐτῶν ὁ λόγος ἰὼν στῇ — — εὐθὺς ἐπ' ἄλλα μεθήλατο ἀσύνδετα καὶ ἐπαναφοράς· ʽτῷ σχήματι τῷ βλέμματι τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρός, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ὡς δοῦλον.' οὐδὲν ἄλλο διὰ τούτων ὁ ῥήτωρ ἢ ὅπερ ὁ τύπτων ἐργάζεται, τὴν διάνοιαν τῶν δικαστῶν τῇ ἐπαλλήλῳ πλήττων φορᾷ.* quae ultima rhetoris verba optime naturalem figurae non vim tantum sed originem demonstrant. quod si Ciceronis potissimum orationes tricola hoc modo repetita iterum iterumque praeferunt, id non magis ad *με-*

λέξιν quam ad φύσιν, ad doctrinam disciplinamque scholasticam non magis referemus quam ad ipsius viri indolem atque potentiam oratoriam, qui insitam linguae latinae facultatem ad lucem ac vigorem produxerit. exemplo defungar uno, periodis scilicet quae sunt in fine prooemii orationis pro Murena (9 sq.): *quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiae ⟨infamia⟩, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur, ego vero libenter desino. sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit, nimirum haec causa est eius modi quam nec industrius quisquam nec misericors nec officiosus deserere possit. — — ego vero, iudices, ipse me existimarem nefarium si amico, crudelem si misero, superbum si consuli defuissem. quare — — quod tribuendum est officio fidei religioni, id ita moderabor, ut meminerim me contra amici studium pro amici periculo dicere.* ac deinde in tractationis initio (12): *hic vero, iudices, et fuit in Asia et viro fortissimo, parenti suo, magno adiumento in periculis, solacio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. — — quam ob rem non Asiae nomen obiciendum Murenae fuit ex qua laus familiae, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est, sed aliquod aut in Asia susceptum aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. meruisse vero stipendia in eo bello — — virtutis, patre imperatore libertissime meruisse pietatis, finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse felicitatis fuit.*

In Plauti fabulis multo etiam certius apparet naturalem esse figuram qua totiens sermonem suum incitet exornet amplificet. plane enim contra comici sermonis naturam loquendi genus tam frequenter usurparetur, nisi inter elementa vivae et cottidianae dictionis fuisset. ergo trias multitudini designandae Romanorum menti ut Graecorum familiaris in lingua nullis artis regulis circumscripta eas formas sponte procreaverat quae deinde ad artificia sunt relatae. Plautus et naturam et artem secutus utramque ita coniunxit, ut artificium quaeri debeat, nativa sermonis virtus fortiter ac vehementer eluceat. quod ut demonstrarem, tribus exemplis contineri non poteram, sed sacculo serendum fuit. tamen exempla sunt, nequaquam exhausta materies.

In animo fuerat aliam quoque figuram tractare, quae est personae semet ipsam alloquentis. sed ea quaestio cum gravibus aliis tam arte coniuncta est ut in aliud tempus atque fortasse locum etiam alium rectius reiciatur.

